

C A P V T D E C I M V M O C T A V V M.

IN illa hora accesserūt discipuli ad IESVM, dicētes: Quis- 172
 putas maior est in regno cœlorū? Et aduocans IESVS par-
 uulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico
 uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, nō
 intrabitis in regnum cœlorum. Quicunq; ergo humiliaue-
 rit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno cœlorū. ¶ Et 173
 qui susceperebit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui aut
 scādalizauerit unum de pusillis istis qui in me credūt, expedit ei ut suspen-
 datur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundū maris. ¶ Væ 174
 10 mundo ab scandalis. Necesse est enim ut ueniant scandala. Veruntatē uæ
 homini per quem scandalū uenit. ¶ Si aut manus tua, uel pes tuus scandali 175
 zat te, abscede eum, & proice abs te. Bonū tibi est ad uitam ingredi debilē
 uel claudū, quām duas manus, uel duos pedes habētem mitti in ignē æter-
 num. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proice abs te. Bonū tibi
 15 est unum oculū habentē in uitam intrare, quām duos oculos habentē mit-
 ti in gehennam ignis. ¶ Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico 176
 enim uobis, quia angeli eorum in cœlis semper uident faciē patris mei qui
 in cœlis est. Vénit enim filius hominis saluare quod perierat. ¶ Quid uo- 177
 bis uidetur? Si fuerint alicui centū oues, & errauerit una ex eis, nónne relin-
 20 quit nonagintanouē in montibus, & uadit querere eam quæ errauit? Et si
 cōtigerit ut inueniat eam, amen dico uobis, quia gaudet super eam magis,
 quām super nonagintanouē quæ non errauerūt. Sic non est uoluntas ante
 patrem uestrum qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. ¶ Si autem 178
 peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si
 25 te audierit, lucratus eris fratrem. Si aut te nō audierit, adhibe tecum adhuc
 unum uel duos: ut in ore duorū uel trium testium stet omne uerbū. Quod
 si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autē ecclesiam non audierit, sit tibi sicut
 ethnicus & publicanus. ¶ Amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis super 179
 terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; solueritis super terrā, erunt so-
 30 luta & in cœlo. ¶ Iterū dico uobis, quia si duo ex uobis consenserint super 180
 terrā, de omni re quancūq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est.
 Vbi enim sunt duo uel tres cōgregati in nomine meo, ibi sum in medio eo-
 rū. ¶ Tūc accedēs Petrus ad eū, dixit: Domine, quotiēs peccabit in me fra- 181
 ter meus, & dimittā ei? Usq; septies? Dicit illi IESVS: Nō dico tibi usq; se-
 35 pties, sed usque septuagies septies. ¶ Ideo assimilatum est regnum cœlorū 182
 homini regi, qui uoluit rationē ponere cum seruis suis. Et cum cōcepisset ra-
 tionem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem milia talenta. Cū
 aut non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius uenundari, & uxo-
 rem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidēs aut seruus ille,
 40 orabat eum, dicēs: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus

autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit unum de cōseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidēs conseruus eius, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autē noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Vidētes autē conserui eius quae siebant, contristati sunt ualde, & uenerunt, & narrauerunt domino suo omnia quae facta fuerāt. Tunc uocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nōnne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quousq; redderet uniuersum debitum. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris.

ANNOTATIONES BREVES XXXI. CIRCA LITERAM CAP XVIII.

1	Quisputas τίς ἔπει Quisnam	19	mancum αλίκι * αὐθρώπῳ	πεστῶπον procidens igitur & infra.
2	maior μείζων cōparatiūs pro su- & infra. (perlatiūo	20	homini eam quae errauit διπλανώμενον	40 orabat προσκύνει adorabat
2	paruulum παυλός puellum & infra.	21	eam quae errabat super eam επὶ αὐτῇ	40 dicens * κύριε Domine
7	fusceperit - unum	25	lucratus eris ἐκέρδησες	41 debitum δέλανεον mutuum
8	de pusillis πᾶρ μικρῶν & infra.	26	lucratus es σταθῇ	43 conseruus eius * εἰς τὸν πόδας αὐτὸς ad pedes eius
9	in collo εἰς τὸν τράχηλον ad collum	27	constitat Si autem καὶ &	44 rogabat παρειάλα obsecrabat
9	in profundum ἐπ τῷ πελάγει in pelago, in profundo	29	ligata - & 29 soluta - &	& infra.
11	homini * εκείνῳ	36	ponere συνάρπει	48 nequam πονηρὲ
12	illi	37	conferre & infra.	48 debitum * εἰκείνη
12	eum αὐτὰ ea	39	talenta ταλάντων	illud
12	debilem κυλλόν	39	talentorum reddi ἀπδοθῆναι	48 debitum * αὐτῷ sibi
		39	solutionem fieri procidens autem	52 uestris * τὰ διαπομαῖα αὐτῶν delicta eorum

COMMENTARIUS IN CAPVT XVIII.

Vm Petrus statērem pro domino, & pro se tributorū exactoribus ob tulisset, & nō pro alijs discipulis: ipsi scire uoluerunt aut ob hoc, aut ob aliud, an dominus uellet aliquē inter eos fore maximum in regno cœlo rum: ut



» sum: ut ostendit Matthaeus, dicens. ¶ In illa hora accesserunt discipuli ad IESVM, dicentes: 172
 » Quis putas maior est in regno coelorum? Et aduocas IESVS parvulum, statuit eum in
 » medio eorum, & dixit: Amem dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli,
 » non intrabitis in regnum coelorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut parvulus iste, hic
 » est maior in regno coelorum. ¶ Exemplo pueri, in quo est sola simplicitas, ac innocentia
 » uitae, & nulla honoris, diuinitarum, aut luxus cupiditas, docuit eos dominus spiritualiter
 » apathiam, quia uero in eis adhuc uiuebat ambitionis affectio, ait illis, nisi conuerteretur,
 » & omnem carnaliter affectum exueretur, & efficeretur pueri spiritu, ipsos non esse intratu-
 » ros in regnum coelorum: per quod hic summam beatitudinis regnum intelligit. Hoc unum
 » habet pueri aetate, cum sint simplices, beneuoli, innoxii, & maxime mites: quod sine ulla
 » concupiscentia ac sollicitudine uiuit: omni cura in prouidetiam parentum reiecta, erga quos
 » summe se humiliant, & ad quos totum suum ferunt amorem. Tales, pueros spiritu ef-
 » fici oportet erga deum omnium patrem, ita ut in simplici, beneuola, & inoxia ad oes-
 » uitae conuerfationem, & summa imititate spirituali uiuetes, nullos nisi necessarios, & eos
 » dem innocuos affectus habeant: quales cognoscimus dominum habuisse, qui esurij, si-
 » tuuit, lassus fuit, compassus est, lachrymatus est, dilexit: & hoc pura, sancta, & secundum
 » deum, & qua nulla uerior esse potest dilectione. Nulla quoque sollicitudine terrenorum
 » torqueantur, sed plenissime in universorum patris prouidetiam fidant, & erga eum maxi-
 » me omnium se humiliant, & ad illum solum totus eorum feratur amor: illum quaerant,
 » illum suspirant, illum toto mentis affectu amplexentur. Qui autem tales sunt, & hic in ter-
 » ris sunt maximi in regno CHRISTI: & in celo sunt futuri maximi in regno eiusdem
 » celesti. Nec sola illa spiritualis humilitas domino placet, sed & ea quae in puerili aetate
 » illius est uestigium, quod intelligitur per id, quod indicat Matthaeo, subdit dominus,
 » dicens. ¶ Et qui suscepserit unum parvulum tales in nomine meo, me suscipit. Qui autem 173
 » scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspeditatur mola
 » asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. ¶ Suscipit parvulum tales
 » in nomine CHRISTI, qui susceptum educat in timore & amore CHRISTI, & defor-
 » mem uera imitatione CHRISTI uitam edocet, ac tandem de terreno carnali pueri
 » facit coelestem, spirituali, & qui sic suscipit, CHRISTVM suscipit. Sed qui aliter susci-
 » pit, id est qui uias uiae CHRISTI contrarias edocet, puerum scandalizat: quicunque autem hu-
 » iusmodi puellum simplicem, beneuolum, innocentem, purum, mitem, humile scandalizat,
 » & maxime si iam credit in CHRISTVM, & in filium dei regeneratus sit, adeo grauiter
 » peccat, quod expediret ei ut suspensa ad collum eius mola asinaria, id est mola inferiore,
 » quam ovum uocant, aut mola quae asino circuagente uerti soleat, demergatur in pro-
 » fundo maris: nam alioqui peccati pondere in profundo barathri demergens est. Qua-
 » propter dicente Matthaeo exclamat dominus, dicens. ¶ Vae mundo ab scandalis. Nec 174
 » se est enim ut ueniant scandalata: ueruntamen uiae homini, per quem scandalum uenit.
 ¶ Quia prius dictum est: Si quis scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me cre-
 » dent, nunc subdit dominus: Vae mundo ab scandalis. Vae, dolenter est exclamatio, & incre-
 » pationis nota, ut effugiatur dei maledictio. Expectanda igitur dei maledictio (nisi resi-
 » piscatur) mundo, id est hominibus mundanis, ob scandalata quae perpetrant, scandalizando
 » tam viros quam mulieres, tam iuuenes quam adultos, & eos maxime qui in CHRISTI
 » credunt. Necesse est ut ueniant scandalata, attenta primum daemonum malitia, de-
 » inde hominum astu maligni corruptorum: qui a primo parente per ipsum similiter dece-
 » pto descendunt. Etenim attenta malitia diaboli, & iniuria, qua erga hominem flagrabat,
 » necesse erat ut per eum uenire scandalum: scandalizaretque Adam, tentando ipsum ut
 » faceret contra diuinum praceptum: at necesse non erat, ut Adam peccaret. Sic quae sancti
 » puerum Joseph testabat ad peccandum, scandalizabat eum: at ipse non peccabat. Et qui
 » sanctam uirginem sollicitat ad turpitudinem committendam, scandalizat, offenditque eam, etiam

si non consentiat: non autem necesse est eam peccare. Quod si peccet, & ille scandalizavit eam, & ipsa seipsum scandalizat, facta sibi ipsi obstatulo, offendiculo (id enim scandalizare significat) quo minus ad uitam perueniat æternam. Et ita in hoc facto duplex est scandalum, & duplex scandalizans. Primum, est necessarium ex supposita malitia: secundum, non. Ideo utræ primo: quia est per quem uenit scandalum. & utræ utriusque peccati: magis tamè primo quam secundo. Si autem non peccet (potest enim non peccare, ut & Ioseph non peccauit) utræ primo, & nullomodo secundo. Quinimmo etiam si oës homines boni sint, necesse est tamen ut scandalum eueniatur ad finem usque mundi: quia semper dæmones qui peccare coperunt ab initio, ponent scandalum & offendicula: nequaquam tamen necesse fuerit ut homines peccent, post finem autem mundi scandalum cessabut. Quod si sint necessaria scandalum, maxime necessaria sunt ad iustorum probationem (nâ probati puriores habentur ignito auro ante deum) non autem ad peruersorum perditionem. Fides sanctorum tormentis probata est, & omni tormentorum acerbitate erat superior: sic & in plerisque sanctitas, integritas, & iustitia nullis machinis scandalizare nitentium dæmonum, euerti potuerunt. Quare non solum caueamus alijs scandalum esse, alioqui nobis esset utræ: sed aliorum quoque scandalis uiriliter resistendo non succumbamus. At si quis sanctus fuerit, qui deo iugiter die nocteque seruiat, & eum alij iudicent hypocritam, & hominem absque deo: qua opinione ducti multi non solum conuicti, sed etiam persecutiones intentent: scandalizat ne talis illos. Minime: sed malitia propria scandalizat eos: quippe qui temere iudicant, cum scriptum sit: Nolite iudicare. Quod si dicantur scandalizati in eo, hoc perinde erit, ut Scribae & Pharisei scandalizabantur in uerbis ueritatis CHRISTI, & in operibus diuinitatis, quos dominus minime scandalizabat: neque erat per quem ueniebat eis scandalum, sed ipsorum peruersa mens, peruersusque animus, sic igitur scandalizantur, sed à seipsis: seipso enim scandalizant. Quapropter quæcumque scandalizat nos, sunt abiiscienda à nobis: si manus, manus: si pes, pes: & in uniuersum quicquid nos scandalizat & offendit, inducendo ad peccandum. Quod satis superque intelligimus per ea, quæ referante Matthæo, subdit dominus, dicens.

- 175 ¶ Si autem manus tua, uel pes tuus scandalizat te, abscede eum, & projice abs te. Bonum est tibi ad uitam ingredi debilem uel claudum, quam duas manus, uel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Bonum est tibi unum oculum habentem in uitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. ¶ Si manum, uel pedem, uel oculum pro particula corporis accipiamus, usus eius quatenus scandalizat, inhibetur. at realis abcisio, abiectio, aut erutio non iubetur. Si uero prout manus sunt, qui opera dirigunt procurantque, pedes qui sustentant & ducunt, oculi qui docent & instituant, ipsorum opera & consuetudo interdicuntur. Si ergo oculi tui in aspectu quorunque scandalizant te, & ad peccandum pelliciunt, abscede eos, & projice abs te: id est circuilla usum eorum reprime, quamvis inde tibi subsidium uitæ pendeat: quia melius est tibi sine tali commodo ad uitam peruenire sempiternam, quam tale terrenæ uitæ subsidium habentem, mitti in ignem inextinguibilem. Et si qui te docet ac instruit, scandalizat te & inducit ad perniciem peccati, erue eum & projice abs te, id est eum desere: quandoquidem tibi melius est ad uitam pertingere sempiternam, ignorantem, quam doctrina, scientiaque prædictum, mitti in æternam ignis conflagrationem. Maxime autem à scandalizatione parvolorum qui iam fide, & purificationibus sibi adsciti sunt, id nobis insinuante Matthæo deterret dominus, dicens: ¶ Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim uobis, quia angelii eorum in celis semper uident faciem patris mei qui in celis est, uenit enim filius hominis saluare quod perierat. ¶ Quem dominus in medio eorum, ut in principio huius decimi octaui scribitur, statuit: electum quemdam fuisse puerum, iam in CHRISTO credentem, & iam sancta eius monita in uitæ puritate &
- 176

puritate & innocentia capessentem , certum est . Et uel hac ratione ad eiusmodi rea
 uerentiam esse habendam nos instruit dominus : quod eos deus tanta prouidentia
 dignatus est , ut angelos puritati eorum conseruandae praefererit : & angelos quidem
 non refugas , non malos , sed uerè beatos : utpotè qui semper uident faciem patris ,
 qui in coelis est : quod est uerè esse beatum . Quare si eos , aut quemlibet eorum con-
 temnis , scandalizas , offendis : angelos eorum contemnis , scandalizas , offendis . Tot
 autem sunt modi scandalizandi : quot modi ad peccandum , diuinumque transgredie-
 mandatum alliciendi . Sed quare uult dominus ne paruuli contemnatur , ne angeli
 eorum offendantur , & ne pariter in illis deus contemnatur simul & offendatur ? Sanè
 ut genus humana quod perierat , saluetur . Porro tanta fuit filio dei cura , ut perditum
 hominem recuperaret : ut de coelis , relicitis agminibus celestibus , in deuia mundi descen-
 derit . Et ad quidnam aliud , nisi ut hominum genus requireret : quod hic per ouem per-
 ditam quidem , ac errantem intelligitur ? Quod reserante Matthæo , hac parabola no-
 bis aperit dominus , dicens . ¶ Quid uobis uideatur ? Si fuerint alicui centum oues , & 177
 errauerit una ex eis , nonne relinquit nonaginta ouem in montibus , & uadit quare-
 re eam quæ errauit ? Et si contigerit ut inueniat eam : amen dico uobis , quia gaudet
 super ea magis , quam super nonaginta ouem quæ non errauerunt . Sic non est uo-
 luntas ante patrem uestrum qui in coelis est , ut pereat unus de pusillis istis . ¶ Hoc fe-
 cit ipse dominus . Is , cuius sunt centum oues , deus . Centum , numerus plenitudine de-
 naria in seipsum ducta , perfectus . Oues , intellectuales , rationalesque creature . Nonan-
 ginta ouem , coelestes intelligentiae , quæ ad plenitudinis suæ integritatæ una deficiunt .
 Quis errans , genus humanum . Montes , coeli . Requiringens ouem errantem , deus , filius
 dei . Inuenire eam , est eam ab errore in coemtu coelestium reuocare . Gaudiū , magnā ex-
 primīt erga nos dei uolentis , ut saluemur , benignitatē : cuius tantum abest , ut uoluntas
 sit , ut humana creatura , genusque humanum , quod ad implēdū coelestē laudatiū deū ,
 chorū factum est , pereat : ut ne unum quidem ex paruulis , qui in CHRISTVM crea-
 dunt , perire uelit . Sic (inquit) non est uoluntas ante patrem uestrum qui in coelis est , ut
 pereat unus de pusillis istis . Imitatione igitur superboni dei ouem perditam requiren-
 tis ad salutem , fratres nostros errantes requirere debemus , ut reuocemus eos ab erro-
 re ad uitā . Quod per Matthæum cognoscimus , aperientem dominū , sic nos edocen-
 tem . ¶ Si autem peccauerit in te frater tuus , uade , & corripe eum inter te & ipsum so 178
 lum . Si te audierit , lucratuſ eris fratrem tuum . Si autem te non audierit , adhibe tecū
 adhuc unum uel duos : ut in ore duoru uel trium testium stet omne uerbum . Quod si
 non audierit eos , dic ecclesiæ . Si autem ecclesiam non audierit , sit tibi sicut Ethnicus &
 publicanus . ¶ Certè qui requisitus est à deo , ut reuocatus collocaretur in coelo , pec-
 cauerat in deum : sic eum qui peccat in te , require , ut reuoces ipsum ab errore , ut sis su-
 perboni dei imitator . Require dico per charitatem , ad faciem dei uoluntatem , qui
 ne unum quidem perire uult , & ipsius qui requiriatur , salutis gratia . Ac primum quidem
 per te ipsum solum , manifestando illi errorem suum , & admonendo eum ut deo
 satisfaciat : quod est fraternalis charitatis officium . Quod si sic non resipiscat , adhibe ma-
 iorem diligentiam adiuncto tecum per charitatem , sola dei offensi , & salutis fratris ra-
 tione habita , uno aut duobus , qui te ad reuocandum eum ad uitam adiuuent : imitan-
 do bonitatem illam uerè diuinam , quæ & per se , & sibi adiunctis prophetis , aposto-
 lis , & sanctis uiris , requirit eos qui ipsam offendunt . Quod si necdum te audiat , dic ec-
 clesiæ : id est ih̄s q̄ in spiritualibus presunt , & id sola charitate , ut à morte reuocare pos-
 sis fratrem ad uitam , etiam his adhibitis testibus , qui tecum per charitatem laborarāt ,
 ut saluarent eum : quatenus tantum agis studeat ecclesia illum inducere ad satisfacien-
 dum deo , id est resipiscendum . Si primo te audiat , id est hortatu & admonitiōe charis
 tatis tuae , resipiscēdo desistat à peccato , & satisfaciat , reconcilieturque deo ; per te es lu-

cratus deo fratrem tuum. Si uero adhibito uno uel duobus, es cum lucratus deo per illos. Si tandem per præsides ecclesiæ, es etiā eū lucratus deo per ecclesiam. Quod si hac uniuersa adhibita diligētia contēnat uitam emēdere, agnoscere culpam, & deo satisfa cere: similis est illi, qui neq; deum per se, ipsum requirentē, neq; adiunctis sibi prophētis & apostolis, neq; uniuerso sanctorum suffragio audit, sed cōtemnit: & ideo sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus, id est prorsus alienus à tuo confortio. Nec solum à tuo alienus esse debet, sed & testium & ecclesiæ confortio: ut & ille à dei & propheta rum & sanctorum omniū contubernio alienus est. Et quomodo etiā cum eo tibi confortium esse posset, qui usque adeo dei cōtemptor est, & à deo alienus? Quod referan

- 179 " te Matthæo per id quod subdit dominus, intelligimus, cum ait, ¶ Amen dico uobis,
 " quæcunq; alligaueritis super terrā, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; solueritis su
 " per terram, erunt soluta & in cœlo. ¶ Qui peccat in fratrem, & non audit eum in cha
 ritate monētem: qui non audit insuper unū aut duos cum eo, zelo charitatis illi adiun
 ctos: qui tandem nō audit ecclesiam, peccati reus est, & peccatum eius ligatum in terra
 & in cœlo, in terra quidē: q̄a in charitate requisitus & admonitus satisfacere deo pec
 catum agnoscendo, renuit, in cœlo uero: q̄ia in terra nullus illi peccatū soluit, sed nec
 soluere potest: qui aut̄ non soluit, alligat, id est ligatum dimitit: quare & ligatum ma
 net in cœlo. Quod si resipiscat, peccatū agnoscēdo, & deo iuxta ecclesiæ, id est euau
 gelij ritum satisfaciēdo, solutio peccati super terrā illi negari non potest: quare & pec
 catum eius reuera solutū est & in cœlo. Nam si homo charitate præditus, resipisci
 ti tanquam dei minister peccatum dimitit, & exultat, & gaudet animo de mortuo ad
 uitam redeunte: multo magis deus, qui infinitæ charitatis est & misericordiæ, pecca
 tum dimitit, & sit in cœlo gaudium incredibile super illo peccatore resipiscēte, & ex
 morte reuiuscēte. Sed forsitan hic petas, quid est peccare in fratre? Frater hic dicitur,
 q̄ spiritualis homo est: non est aut̄ spiritualis sine uiua fide, spe, & charitate. Et quicunq;
 ante talē manifeste trāsgreditur dei mandatū, facitq; siue illi siue alijs cuicunq; offend
 deo, iniuriā, peccat in fratrem, qui habita ratione offenditæ dei, ob quam ipse met ma
 xime offenditur & dolet, charitate cogitur admonere fratre suum propriæ salutis, ut
 à morbo illo animæ, qui mortē inducit, saluetur: & nō moriatur, sed uiuat. Sed dices:
 Quid si quis peccator fuerit, & forte maior q̄ alter qui ante ipsum peccat: nunquid
 aggredietur corripere illum? Quid etiā si frigidus sit, & charitatis expers? Probet se i
 psūm homo: nā si peccator fuerit, minime aggredi debet, prohibēte domini sentētia:
 Ejice, inquit, primū trabē de oculo tuo: sed id tētando, hypocrita esſet, temerarius, &
 præsumptor. Si uero sine charitate, quomodo esſet correctio fraterna, quam sola dei
 operatur charitas? Ad uiros igitur spirituales & perfectos hic sermo dei est. Spiritua
 lis ergo, quem zelus offenditæ dei ducit pariter & charitas, aggrediat. Sed quē? Eum
 certè, ad quem possit esse charitas. Is aut̄ est spiritualis: sed qui ideo à spiritu lapsus est,
 aut̄ labitur, q̄ia nō habet qui ipsum erigat ad spiritum. Ad eum igitur qui cognoscit
 non recipere charitatis consilium, nō audire ecclesiam quia iam sit ut Ethnicus, & pu
 blicanus, non est accedēdum, & si iugiter hīc peccet in fratres: quia admonitio charita
 tis nō tā prodest, quām noceret. Sed addes: Esto iū adeundi sint cum peccat, de qui
 bus quod resipiscēt spes est: sed si peccet aliquis eorum in me, aut̄ coram me offendit
 do etiam grauiter deum: & solus id noscam, & me monētem audire contemnat: de
 beōne secretum eius peccatum prodere, dicēdo alijs quos adhibeo mihi adiutores,
 aut̄ ecclesiæ præsidibus? Quidnī: modo id facias, non ut detrahas, nō ut infames (hoc
 enim inuidiæ, maleuolētiæ, & odij esſet) sed sola charitate, ut eū deo lucreris. Nōnne
 si frater secretū in corpore morbū patitur, quem cognoscis: cum per te sanare nō pos
 sis, alios per charitatem, id est peritos corporis medicos adhibes, quibus secretum illū
 morbum detegis, & non peccas, ut amici corpus sanes? quāto magis id facere debes
 per charitatem,

per charitatem, cum medicos animae cognoscis, ut animam fratris salues: id est a mortis periculo liberes: Nunquid cum secretus corporis morbus probis medicis detectiatur, infamatur paties: Quid times mundi infamiam, & non times deo perire animam: Timis perire famam, & non uitam aeternam, etiam ubi non est timendum: Quomodo enim periclitaretur fama, ubi est charitas: O timor stolidissimus. Nonne uides dominum de spiritualibus loqui, quales esse debent omnes Christiani: qui cum bonitate polleant, & ferueant charitate, fidelissimi sunt animarum medici: & apud quos detecto morbo, nihil est infamiae periculi, sed spes maxima salutis & auxilij: Ergo quicunque spirituales fuerint, sequatur euangelium: nihil timeant, audientes C H R I S T U M. Si ergo uidero fratre meum, id est spiritualiter uirum, & ad quem charitatem habeam (ut enim caro carnales, sic charitas spirituales efficit fratres) si uidero in quam fratrem meum sic delusum carne, mundo, aut daemone, ut infatuari coepit, aut iam infatuatus demenatus ue sit amore uelano cuiusdam affinis meae, & in hoc in me peccauerit: cur non per me ipsum corripiam, ut eum deo lucrer: Quod si per me non possim, cur non in charitate duos mihi adhibeam? Si uero nihil proficiamus, cur non tandem patri spirituali uni, uel pluribus, ut expedire uidebit, habita solu offendae in deum, & salutis fratris ratione, illud & in charitate & secreto detegamus; ut fratris aut utriusque, id est fratris & sororis de morte ad uitam reuocatio fiat: Optimum autem est (si fieri possit) peccatum praeuenire: si non possit, elaborandum de medio fornacis Babylonis, & diaboli incendio eum liberare: adeo ualida esse debet in cordibus fidelium fraterna charitas. Sed esto lapsus frater sic langueat, ut neque fratrem solitarium audiat, neque comitatum adiunctum, neque demum ecclesiam ipsam, & sit iam ut Ethnicus & publicanus: nūquid tunc omnino desperandum est de salute ipsius? Nequaquam, si perseuereret fraterna charitas. Quia sic deus est charitatis amator, ut si perseuereret pro eo in spiritu charitatis orates, ad quod homines eum inducere non potuerunt, ipse deus qui summè potens, & summè bonus est, per se inducturus sit. Quod ex ihs intelligere possumus, quæ Matthæus subdit, inductens I E S V M loquentem, & quæ sequuntur dicentem. ¶ Ita dico uobis, quia si duo ex uobis consenserint super terram de omni re quancunque petierint, fieri illis a patre meo qui in celis est. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. ¶ Si duo uerè fideles in nomine domini congregati consiperint, conueniant, consentiantque super terram, de re qualibet quam petierint, exaudiet eos pater coelestis. Quare si in nomine domini, qui est salus nostra, & qui omnes uult saluos fieri, conueniant, postulantes erranti resipisciendi gratiam concessi, quod est charitatis opus, exaudiet eos pater coelestis, dabitque eis quod petent: quanto magis si tota oret ecclesia: Et quare? Quia dominus noster in medio illorum est, illius charitatis & autor & exauditor. Iuuari ergo errantes lapsos possunt, etiam si humanis consilijs & correptionibus hactenus non paruerint. Vultque dominus illis afferri & afferre opem, cum pollicetur uel duorum in suo nomine congregatorum consentientium, idque posse, exauditionem. Et hoc est ultimum ex charitate nostra ad saluandum fratrem confugium. Quæ cum audisset Petrus, sciscitatus est a domino quoties in se peccanti fratri remitteret offensam: ubi uidelicet corruptus uel a se solo, aut a se & paucis, aut ab ecclesia resipiceret, susciperetque uitæ emendationem. Quod tagit Matthæus, subdedit. ¶ Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam eis usque septies? Dicit illi I E S V S: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagesies septies. ¶ Videbatur multum esse Petro, quod delinquenti in se fratri remitteret septies super terram: ut qui parum cognosceret erga nos benignitatem diuinam, quam nos oportet imitari: tametsi copiosissima sit, non angusta, non arcta. Ideo iure optimo corruptit eum simul & docet dominus, & cum ipso nos pariter omnes, dicentes: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagesies septies (qui numerus ascendet ad nonages, & quadrin-

genties) id est toties quoties uoluerit resipiscere, emendationē; recipere, & iuxta legem gratiae ad deum redire: nō enim misericordia dei termino ullo clauditur. Quare etiā si decies millies in nos, aut coram nobis peccarent homines, nobis aut alijs, in deo offendit, offendit, ipsi siue ex seipsi ueniam petentibus: id est satisfacere, & ad deū redire utcunque possint fatigētibus: siue nobis quoquo pacto emendationē eorū procurantibus, & ipsis iam sanis resipiscendi acquiescētibus cōsilijs, remittere debemus: & id ex charitate, si uolumus diuinæ in nos & in omnes clementiæ esse imitatores. Et quid est quod uult nos imitatiōe sua toties fratribus nostris remittere, nisi qd' declarat se miserationū fontem, ac ueritatē ipsam esse: cum uelit nobis etiam infinites peccantibus, si id fieri posset, modo resipiscamus, remittere: & reuera remittat eandē nobis, quam prius donando charitatem: Et nos itaq; ad eos eādem quam prius seruare charitatem, modo uerè resipiscant, & idem consortium retinere debemus. Remittamus igit̄, si uolumus, ut supra dictū est, esse imitatores diuinæ in nos & in oēs clementiæ, cui semper sine ulla cōparatione nos omnes plura debemus, quæ ab eo nobis remitti uolumus, quām possint nobis fratres nostri debere. Quod sequēti parabola, reci-

- 182 " tante Matthæo, aperit dominus, dicens. ¶ Ideo assimilatum est regnum cœlorū homini regi, qui uoluit rationē ponere cum seruis suis. Et cū cōpisset rationē ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decē milia talenta. Cum autē nō haberet unde redderet, iussit eum dominus eius uenundari, & uxorē eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidēs autē seruus ille, adorabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit unum de cōseruis suis qui debebat ei centum denarios: & tenens, suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidēs conseruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt ualde, & uenerunt, & narrauerunt domino suo omnia quæ facta fuerāt. Tūc uocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue ne quām, omne debitum dimisi tibi, quoniā rogasti me. Nōnne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum: Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet uniuersum debitū. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris. ¶ Regnum cœlorum, regnū C H R I S T I. Homo rex, deus, pater noster cœlestis. Serui debitores, peccatores. Incipit rex ponere rationem cum seruis, cum nunc terrore mortis, nunc flagello conscientiæ, nunc gehennæ metu, aut consimilibus, ad cogitandum dissipationem gratiarum, & peccata commissa compellit. Debita, gratiæ restituēdæ, & earum opera. Seruus oblatus, magnus peccator. Decem milia talentorum, debita, gratiæ dissipatae, & earum opera: in quorū locum suffecta sunt peccata in deum grauia & multa. Iussio uenundationis ipsius, & uxoris, & liberorum, & uniuersorum quæ habebat: comminatio diuinæ iustitiae, perditionis & animæ, & corporis, & omnium potentiarum, & operum. Quod procidit seruus, humiliatis se peccatoris est signum. Quod promittit omnia se redditum, resipiscientiam pollicetur, uitæq; emendationem, & iuxta diuinæ legis sancta satisfactionē. Quod ad solā precē dominus misertus est eis, & ipsum absoluit, & omne debitū, cum tantū esset, illi remisit atq; donauit, magnā & ineffabilē erga peccatores se humiliantes, & resipiscere uolentes, clementiæ dei, miserationēq; ostēdit. Egressus seruus intelligit, cū liberatus est à periculo, ut à graui infirmitate, flagello cōscientiæ, metu gehennæ, aut similibus. Cōseruus q; debebat ei centum denarios, is est qui in eum peccauerat, eratq; ei in aliquo debitor. Centū denarij, leuia & pauca in hominē ob offensam in ipsum cōmissam debita, respectu eorū quæ deo debet. Quid enim denarij ad talentum, & quid centū ad decē milia? Suffocatio, seueram

Seueram exactionem designat. Idem & carcer. Quod cōseruus procidit, & pollicetur se redditum debitum, humiliationem, & promissionem satisfaciendi homini significat. Conserui qui contristati sunt, angelī dei, cōserui indigna passi, & pro uirili fratri satisfacere uolentis, deo offerentes memoriam: contristantur enim angelī, quādo contra diuinam imitationem, à qua ipsi nunquam egrediuntur, nōnihil homines moliuntur. Seruus ille crudelis, & immisericors, & nequaquam diuina æmulatus misericordiam, uocatur à domino suo per mortem. Ira domini eius, diuina vindicta est. Tortores, dæmones, & pœnae ultrices. Locus tormētorum, infernus, unde nunquam quisquam est exiturus, si sit inexpiable delictum: aut debitum tale, pro quo pœnis satisficeri non possit: alioqui enim satisfactoriae pœnae putantur. Sic deus nihil de quo non sit satisfactum, uel in hoc uel in altero mundo, sinere uult in ultum. nisi enim aliquando misericordia dei, & iustitiae eius posset esse satisfactum, non diceret: Tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet uniuersum debitum: ubi illud, quoadusq; tempus satisfactoriae pœnae designare uidetur. Ex quo etiam loco, purgationum loci coniectura sumitur. Ex his, quantum deus indulxit, patere potest parabolæ mysterium. Ex qua colligere possumus, deum adeò uelle nos erga fratres esse misericordia suæ æmulatores: quod nisi remittamus eis etiam ex animo quæ in nos peccant, exigua nimírum & pauca: neq; nobis remissurus est, quæ in eū peccamus, grauia quidē, & multa: neq; aliter orandū præcepit, ut ipse remittat nobis debita nostra, nisi sicut remittimus debitoribus nostris: quibus qui fieri posset, ut non remitteremus peccata, quæ deus petentibus remisit. Simus ergo inuicē misericordes, ut à cœlesti patre nostro, cuius miserationes super oia opera eius, misericordia per filiū eius dominū nostrū consecuti, ipsum cum eodē & spiritu sancto glorificemus, & nunc & in omnia secula seculorū. Amen. Psal. 144.

C A P V T D E C I M V M N O N V M.



T factum est, cum consummasset I E S U S sermones istos, 183
migravit à Galilæa, & uenit in fines Iudææ trans Iordanem:
& secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi. ¶ Et ac 184
cesserunt ad eum Pharisei, tentantes eum, & dicentes: Si
licet homini dimittere uxorem suam quacunq; ex causa?

Qui respondēs, ait eis: Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, ma-
sculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrē
& matrem, & adhæredit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Itaque iam
non sunt duo, sed una caro. Quod ergo deus coniunxit, homo nō separet.

¶ Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudii, & dimit- 185
tere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis uestrī permisit uobis
dimittere uxores uestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem uobis,
quia quicūq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Et qui dimissam duxerit, mœchatur. ¶ Dicunt ei discipuli 186

185 eius: Si ita est causa hominis cū uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis:
Non omnes capiunt uerbū istud, sed quibus datū est. Sunt enim eunuchi,
qui de matris utero sic nati sunt. Et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hoībus.
Et sunt eunuchi, qui seipso castrauerunt propter regnum cœlorū. Qui po-
test capere, capiat. ¶ Tūc oblati sunt ei paruuli, ut manus eis imponeret, & 187
oraret. Discipuli autē increpabant eos. I E S U S uero ait eis: Sinite paruulos